



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1562 usque ad annum 1563

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1771**

**VD18 9011860X**

§. 51. Uno simul prandio & lecto usi.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66641](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-66641)

**Sæcul. XVI.** ducebatur, ubi eum Guisius Dux omnibus sinceræ amicitiae signis, ac nonminus generosa, quam singulari benevolentia excepit, eumque solatus, atque infaustam illius sortem deplorans, cum eum absque Regis, & Reginæ Administraticis jussu libertati restituere haud posset, specialem saltem ejus vitæ sollicitutinem præsetulit, eumque ad locum cubiculo suo contiguum deduxit, admonens, ut eo absente sese nemini conspicendum præberet, ne forte inquisitimo hoc tempore rabiem concitaret cujusdam Catholici, in quo immoderatum Religionis studium magis, quam Regii sanguinis reverentia prævalere posset.

## §. LI.

*Ambo unius mensæ, ac lecti societate gaudentes.*

**I**nsuper Guisius Dux nunquam a Conclavi Principis latere discesserat, nisi quando illum imperia dandi necessitas avocaverat, insuper ipsum semper mensæ suæ socium habere voluit: majori autem sollicitudine angebatur Guisius Dux, eo quod ipsi non nisi unica lecti copia esset, impedimentis hinc inde dispersis, aut omnino amissis: cum autem Dux suum lectum semper penes se haberet, eundem perbenigne Con-

dæo obtulit : attamen verebatur hic Sæcul. XVI.  
 Princeps, ne Guisio, si conditionem ac-  
 ceptaret, familiarius uti videretur: si  
 autem recusaret, rusticitatis notam in-  
 curreret, hinc Guisio respondit : „lu-  
 „bens tuum accepto lectum, dummodo  
 „tu illum mecum partiri velis.,, An-  
 nuit Dux, proin in hac occasione duo  
 supremi Duces, quos florentibus utrius-  
 que rebus inimicitiae capitales divulse-  
 rant, adversa alterius fortuna conjun-  
 xit, & in ambiguo reliquit, utrius virtus  
 majore laude fuerit digna, aut Gui-  
 si Ducis tanta moderatione usi, aut  
 Condæi Principis, qui se ultro hostis  
 antea jurati fidei tanta fiducia, & animi  
 æquitate crediderat.

Altera die Condæus Princeps in-  
 gentem animi mœrem præsetulit,  
 narravitque, quod totam noctem in-  
 somnem agere coactus, Ducem lateri  
 suo accubantem tam profundo, ac quie-  
 to somno sepultum admiratus fuerit,  
 perinde acsi priori die pro eadem cau-  
 fa invicem decertassent, semperque ar-  
 etissimo amicitiae vinculo juncti fu-  
 sent: attamen hæc ipsa relatio heroi-  
 cam Condæi fiduciam, atque intrepi-  
 dum Guisii animum luculento testaba-  
 tur argumento.